

P V I S

1 6 1 8

ORATIONES

- I. D. Pelargi de Libro Vita Mystico.
- II. Salomonis Frenchi de Jesu Christo Redivivo.
- III. Georgii Czusii Descriptio Holsaticae seu Cimbricae Arvis.
- IV. Bernhartini Bernifacii Miscellanea Hymnorum &c.
- V. Abrahami Sculteti Concio Secularis.
- VI. M. Caspari Bucheri Actus Oratorius.
- VII. Actus Inauguralis introductis in Gymnasium Gothicense Rectoris.
- VIII. M. Thomae Sagittarii Orationes Duae.
- IX. M. Laubani Oratio de Disciplina Scholastica.
- X. M. Bucheri Oratio de Sapientia Patris Dno.
- XI. Francisci Schwabii Oratio de Ebrietate et Temperantia.
- XII. Justi Lippii Oratio de Obitu Johannis Wilhelmi Ducis Saxoniae.
- XIII. M. Izajmi Schmidt Oratio memoriae Laubmani habita.
- XIV. M. Benedicti Anthonij Oratio Exequialis manib. Johannis Bernhartini.
- XV. Programma in funere Pauli Rudigeri propositum.
- XVI. Programma sub funus Francisci Parovii propositum.
- XVII. Programma de Doctoratu Quatuor Theologorum.
- XVIII. Syllabus Lectionum Gymnasii in valle Joachimica.
- XIX. Praeambulum Lectionum Gymnasii in valle Joachimica.
- XX. Henrici Kitzschii Specimen Oratorium.
- XXI. Henrici Kitzschii Discursus Gemalis.
- XXII. Henrici Kitzschii Centuria Symbolon Chronologica.
- XXIII. De Stella Pergrina.
- XXIV. M. Bernharti & Parelii

EX LIBRIS
 ILLVSTRISSIMI VIRI,
 DN. DAN. LVDOLPHI,
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
 STATUS INTIMI, cetera,
 BIBLIOTHECAE ACAD. FRIDERICIANAE
 TESTAMENTO RELICTIS.

DA 1

PROGRAMMA

PUBLICE PRORSITVM

IN FVNERE

HONESTISSIMÆ

FŒMINÆ, PIETATE ET

VIRTVTIBVS ORNATISSIMÆ CA-

THARINÆ: viri clarissimi & præstantissimi

lurisconsulti Domini Doctoris PAULI RV-

DIGERI, olim Advocati curiæ provincialis

in his terris, & confessoris scabinorum

Lipsensium, conjugis relictæ, in vera

fide confessione & invocatione

filij Dei pie defunctæ. Die

20. Ian. Anno salutis

humanæ 1593.

*Addita sunt quædam Epitaphia pietatis
& memorie causa.*



LENÆ Typis Tobiaë Steinmanni.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS
REINPRECTVS BARO IN
POLHEIM ET LICH-
TENECK S. D.



VNT QUI NATVRAM
ACCVSANT, QVOD CORVO
Elephanti, cervo, aliisq; id genus bru-
tis longiorem, quam homini vitam
tribuerit: cuius tamen vires constan-
tiores, ætasque diuturnior ut esset,
tum species elegantissima, & perfe-
ctio quasi palmaria hominis, tum ipsa
bonitas, ac lætitia Dei, quam suis in
operibus habet, efflagitare vel maximè videbatur. Pulchrè
enim, quod effectum, turpe est inquit Plato, dissolvere, neq;
ut Philo scribit, interitus, & confusionis, sed ordinis, venusta-
tis, & vitæ Deus author est. Ac si dolendi causam habuit
Jonas super hedera, aut cucurbita, quia citiùs exaruerat:
quanto magis homini, qui princeps est totius mundi sensilis,
quod vires tam exiguas, vitamq; ita momentaneam obtinu-
erit, querendum videtur. Verum ab accusatione, & querela
eiusmodi rectissimè abstinent, qui in contemplatione iustitiæ
& libertatis Dei, & recordatione improbæ nostræ & peccati-
cis naturæ frequentes sunt atq; assidui, quibus ex Dei verbo
certum est, peccata, sub quibus conclusi sumus omnes, peren-
nem etiam corporis vitam in mortem, proh dolor, atque in-
teritum commutasse. Luculentum enim illud oraculum est:

Aculeus mortis peccatum, & stipendium peccati mors est. Et si verò nos mori oportere sedulò meminisse convenit, minime tamen instar Ethnicorum fingamus, ideo nos tolli ex hoc mundo, quasi Deus formationem nostri perosus nos peremptos prorsus, atque in nihilum redactos velit, sed porius, ut pulchritudine maiore & venustiore facie, adeoq; longe beatissima tam corporis, quam animæ vita atq; perfectione potiremur, tunc nimirum, cum venerit Dies ille, quo omnes ante tribunal Christi manifestabimur, lætiq; Dei gratia & misericordia optimo ac felicissimo statui, amissæ nimirum integritati in omnem æternitatem restituemur. ad quam velut transitus ingressusq; est ex hac ærumnosa vita discessio, quam, qui parati sunt, ventrisque gulæ delicias longius præfigaverunt, pii scilicet & fideles omnes læto pacatoq; animo expectant. Atque in hac quidem expectatione cum diu detenta fuisset honestissima & castissima Matrona CATHARINA viri Clariss. & consultiss. D. Doctoris PAULI RVDINGERI Curia olim provincialis nostræ Advocati, & Lipsensis Scabinatus confessoris digniss. relicta vidua, tandem Phthisi lactabe exhausta, heri inter octavam & IX. noctis, in vera Dei invocatione, & constanti in Christum fide, sublatis in cœlum subinde de manib. quasi plaudendo placidissime obdormivit. Habuit illa ob mentis suæ oculos in tota vita suam indignitatē, quam solata est summa cum fiducia dulcissimis verbi divini consolationib. de misericordia Dei, de remissione peccatorum propter Christum, de vita denique & salute æterna. Meminerat & ad extremum usque Spiritum semper in ore habebat Pauli illud, Cupio dissolvi & esse cum Christo. Et Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret &c. Item: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Hæc est voluntas patris, qui misit me, ut omnis qui videt filium non peccet, sed vitam habeat æternam, & ego resuscitabo eum in
novissi-

novissimo die: Vnde minimè coniectura nos fallax, sed certissima tenet persuasio, his fidei & constantiæ quasi coelestibus armis ipsam munitam, hæreditatem Domini gloriose manibus hostium eripuisse, & nunc cum Christo, eiusdemque fratribus & sororibus felicissimè vivere, ac Dei mensa receptam nectare & ambrosia suavissima frui. Nata fuit virtutum omnium dotibus & notis ornatissima foemina in oppido Burgel, Anno M. D. L. I. X. ex familia, quæ integritate vitæ, ac rebus multis domi & foris prudenter, feliciterque gerendis immortalis sui nominis laudem & gloriam consecuta est. Patrem enim habuit virum Reverendum & clarissimum D. DAVI-DEM VOITVM Theologiæ Doctorem præstantissimum, de cuius pietate, & doctrina, & utilissimis, gravissimisque laboribus, cum Regiomontana & VVitebergensis, tum nostra præsertim Schola & Ecclesia testatur. Mater fuit CATHARINA BURCKHARDIN filia IOANNIS BURCKHARDI Quæstoris Burgelensis fidelissimi, fratris magni illius FRANCISCI, qui ob cognitionem, rerum usum, atque in rebus gerendis industriam & vim dicendi egregiam, summis etiam Regibus, Ducibus, & populis charissimus fuit. Tantorum igitur parentum virtute, pietate, & disciplina, quasi nutrimentis quibusdam educata, summa qua fieri potuit diligentia, cum in annis pueritiæ, tum in utroque matrimonio (primum enim cum integerrimo viro GEORGIO STENGELIO, Cive quondam Kittingensi contraxerat) in primis verò in viduitate sua, quæ summis cum difficultatibus plerunque confictari solet, ita vitam egit suam, ut pietate, verecundia, pudore, tolerantia omnibus admirationi fuerit, & easdem ad virtutes aliis exemplo suo præiuerit. Cum itaque post vespertinas preces funus efferendum sit; & terris mandandum, hortamur omnes iurisdictioni nostræ subiectos, ut illud prosequantur honorifice, & officiose deducant, dabunt hoc familia ho-

liæ honestissimæ, quam obitu honestissimæ matronæ in luctu
& squalore versari videmus; Dabunt Parenti defunctæ viro
Reverendo & clariss. Dabunt eximiis & raris illis virtutibus,
quæ hac in fæmina eluxerunt, ac præsertim singulari illius
beneficentiæ in nostrum ordinem, quam forte paulò post ipsa
rerum etiam testimonia probabunt; Denique communi da-
bunt mortalitati, cui cum nemo non sit obnoxius ad eapi-
etatis officia, quæ vita functis præstantur, omnes paratissimi
esse debemus. P. P. XXI. Ianuarii, Anno CHRISTI
M. D. XCIII.



EPIGRAMMATA.

IN OBITVM PIAE
ET HONESTÆ MATRO-
NAE: CATHARINAE VOITAE, D. | D.

DAVIDIS VOITI FILIAE: ET CLARISS.

atque doctiss. viri D. PAULI RVDIGERI I. V. DO-

ctoris viduæ: piè lenæ defunctæ, Anno

93. die Ianuarij 25.

ERgonè mortifero Lachesis fera sustulit ausu,
Te CATHARINA tua spes columenq;
domus.

Viuere quæ tot eras annos dignissima: primo

Quot vixisse pios constat in orbe senes

Hoc pietas, sincera fides, utriusq; marti

Intemeratus amor, sedulitatis honor,

Pro-

Promeruisse tibi poterant, nisi mortis auara
Instruerent avidas fata sinistra manus.
Sic tuus occubuit pater, optimus ille virorum,
Incluta quos gremio fouit Iena suo,
Cuius honor, nomenq; cadent, laudesq; silescent,
Cum ruet in priscum terra polusq; chaos.
Quin utriusq; tibi ploranda fuere mariti,
Funera: te fatum scilicet urget idem.
Omnibus hæc eadem nobis calcabitur olim,
Semitæ, non ullum mors fugit atra caput.
Sed te felicem CATHARINA, quod ardua certâ,
Cum morerere fides stravit ad astra viam.
Scilicet is vivit moriens, petit astra sepultus,
Cui purum fidei pectus ab igne calet.

M. V. Volfgangus Heider.

A L I V D.

Nemo velut certam sortem, Divosq; faventes
Semper habet, sed habet tristia mixta bonis,
Sic etiam nemo rebus desperet in arctis,
Ante stet ipsa licet mors properata pedes.
Te CATHARINA licet summa fors sorte bearit,
Quod pater & genetrix te docuere DEVM.
Quod tibi consortem Iuris iunxere peritum,
Quod tibi divitias, quodq; dedere domum.

Non

Non tamen evitas inopina spicula mortis,
Aspera qua nimium te tulit ante diem.
Sed quia salvifico didicisti fidere CHRISTO,
Vivis, & astrorum regna beata tenes

M. Herman. Plalsius.

A L I V D.

A Tropos ut voluit CATHARINÆ scindere
fila

EVSEBIE mœstis uda fuit lacrymis.
Alma FIDES etiam lacrymosis ipsa querelis,
Indignum facinus testificata fuit.
Attamen aspiciens crucifixi vulnera CHRISTI,
Nil, dixit, Lachesis, nil furialis ages,
CHRISTVS uti rediit vacuas rediuius in auras,
E tumulo surget sic CATHARINA suo.

E P I T A P H I V M

in eandem.

RVDINGERA ista CATHARINA quiescit
in urnâ

Cui patrium tribuit BVRGELA parua solum,
Laudatis par matronis, gravitate, pudore,
Gracia quas peperit, quas Latiumq; dedit.
Sala pater testis, testis formosus Elister,
Testis & est vitreis Mœnus amœnus aquis.

Cui

*Cui pietas igitur, cui cordi est vita probata,
Terra tibi, dicat, sit CATHARINA levis.*

CATHARINA RVDINGERA

Αναγραμματικῶς.

AH NVNC AGER AD IRRITA.

AH dolor, ah lacrymæ, qui fructus antè benignos
Sæpe dabat, qui prouentu ditabat opimo;
Vastus AGER NVNC est, & AD IRRITA vota redactus.
Proque satis spinas, gramen pro fructibus affert,
Attamen hoc melius DEVS hunc renouabit aratro,
Nobiliore olim longè fructuq; beabit,
Ergo grauem, dulces, luctum mittamus amici,
Ambiguæ memores fortis, casusq; futuri:
Æthereoq; patri nostros credamus agellos.

M. Florianus Gensterus pietatis ergo. F.

A L I V D,

Hic lapis abscondit matronæ membra pudicæ,
Iunctæ Doctori fœdere coniugij.
Qui propter Iuris præcepta sacerrima clarus,
Pauli Rudigeri nomine dictus, erat.
Hæc tres & denos ter, vix compleuerat annos,
Dum consumpta malo tabifico occubuit.
Commendans animam CHRISTO cupiensq; resolui,
Cum sanctis verè gaudet in arce poli.
Et cum fata velint cunctos migrare, precamur
Vt nobis istum des quoq; CHRISTE locum.

Casparus Flach Consobrinæ posuit.

A L I V D.

Non ego te raptam queritor, CATHARINA, rapaci
A Lachesi, cunctis ista terenda via est.
Lætor ouis potius CHRISTI quod sancta fuisti,
Hoc pastore lupum tuta es ab insidiis.

Paulus Haneman pietatis ergo. F.

E I N I S.

Fc 1253

ULB Halle 3
001 852 930





sb.

MC

VO 17








XIV

PROGRAMMA
PUBLICE PRORSITUM

IN FVNERE
HONESTISSIMÆ
F O E M I N A E, PIETATE ET
VIRTVTIBVS ORNATISSIMAB CA-
THARINAE: viri clarissimi & præstantissimi
Iurisconsulti Domini Doctoris PAVLI RV-
DIGERI, olim Advocati curiæ provincialis
in his terris, & confessoris scabinorum
Lipsensium, coniugis relictæ, in vera
fide confessione & invocatione
filij Dei piæ defunctæ. Die
20. Ian. Anno salutis
humanæ 1593.

*Addita sunt quadam Epitaphia pietatis
& memoriæ causa.*



IENAE Typis Tobiaë Steinmanni.

